Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.

QVis non Aonios latices, Phœbiq; fluenta
Quærit, & Hyblæo mella petenda jugo?
Scilicet humanis hæc eſt innata medullis,
Hæret & in noſtro pectore ſacra ſitis
Scrutari ſecreta Deûm, vireſq; Parentis
Naturæ, in tacito quas tenet ipſa ſinu.
Vt ſciat æthereos, perfert cervicibus, axes,
Et non ingrato pondere ſudat, Atlas.
Vt ſciat Aglauros flavæ ſecreta Dianæ,
Non metuit tantæ jurgia ſæva Deæ.
Ipſas ſcire juvat Rhodopeia carmina ſylvas,
Quàm vellent doctum vel didiciſſe melos!
Scire juvat ſummus quot ſydera geſtat Olympus,
Quot tenet accenſas nox tenebroſa faces,
Seu petis Icarijs ſuperûm palatia pennis,
Seu Phœbi currus cum Phaetonte regis.
Pectore quis toto ſacras non imbibit artes?
Aut quis non tantas ambit avarus opes?
Hos ſatus Japeto de cœlo ſuſtulit ignes,
Hanc ille æterno pectore paſcit avem.
Tantalus & medio ſitit has in flumine lymphas,
Hæc & jejuno pectore poma petit:
Prima per æquoreos auſa eſt quæ currere fluctus,
Hæc tantùm petijt vellera, Graia ratis.
Cimmerias animi tenebras, & flumina Lethes
Odimus, haud vlli pectora cœca placent.

Ergo animis dedit ipſa ſitim Natura ſciendi,
Hoc lacte Infantes nutrjit ipſa ſuos.

Veritas eſt conformitas rei cum Intellectu.

ARte ſenex Siculus vitreum Iovis æmulus orbem
Finxit, & in fragili ſydera mota globo;
Intima reſpexit propriæ Penetralia mentis,
Mentis & Ideæ contulit Artis opus:
Vtq; animo vidit bene reſpondere figuram
Verum opus, artificis approbat inde manus;
Intuitu luſtrans vno ſic omnia Numen,
Ideaſq; videns cuncta referre ſuas,
Protinus agnoſcit pro veris omnia: falſus
Spectandus toto nec fuit orbe nothus.
Nutrici Infantem genitor commiſit alendum
Zelotypus, Nati ducta figura fuit:
Mutatur ſoboles: manet vſq; ſimillima forma,
Agnovit prolem quâ pater eſſe ſuam.
Omnia Naturæ commiſit Numen Alumnæ,
Addidit & vires queîs, quaſi mater, alat:
Ne tamen imponat nutrix errore, vel arte
Credenti nimium ſubdola forte; cavet.
Idæas rerum Deus altâ mente recondit,
His quaſi menſuris germina vera patent.
Nec patitur falſas melior natura Chymæras;
Hæc labor Alcidis monſtra domare fuit.
Divinus falſum fugit Intellectus, vt ingens
Formidat formam Barrus in amne ſuam.

ERGO

Archetypus rerum pater eſt: ſunt Entia Proles;
Progenies debet vera referre Patrem.